

† R. P. Ioannes Aloisius Uhl.

(Prov. Germ. super.).

Die 28 iulii a. 1924 sacerdos, qui multum in vita sua laboraverat, e numero nostro sublatus est, R. P. Ioannes Aloisius Uhl.

Natus est die 17 novembris a. 1862 in vico quodam Wuerttembergensi Neunheim prope oppidum Ellwangen, dioecesis Rottenburgensis. Parentes eius non tam divitiis quam liberis abundabant. Ioannes Aloisius inter decem germanos septimus erat. Rustici parentes, praesertim pater, liberos severe educavisse videntur. Fortuna autem exigua spem vix adferre videbatur puerum indole optima praeditum ad studia litterarum accedere posse. At cum in Ellwangen gymnasium publicum esset, quamquam duo milia passuum distans, ad studia humaniora incumbere potuit, sed ita, ut iter satis longum cotidie peteret repeteretque, ne habitationis victusque expensis pater nimis gravaretur; res non parum molestiae peperit, sed eadem, ut ipse fatetur, a multis periculis servatus est. De studiorum



tempore nihil fere scimus, nisi eum iam tum magnam erga Beatam Virginem et S. Angelum Custodem devotionem concepissee. Etiam meditationem tunc exercere coepit, quamquam ipse modeste de conatu tantum quodam loquitur. Studiis humanioribus absolutis, ut legi patriae satisfaceret, Tubingae per annum militiae voluntariae nomen dedit, simul vero ibidem in universitate litterarum scholas philosophicas frequentavit, ut tunc consuetudo erat eorum, qui dignitatem sacerdotalem appetebant, quamquam dubitari non potest, quin in tali officiorum cumulo eruditio philosophica aequo inferior exstiterit. Anno illo elapso Tubingae in studia theologica incubuit et a. 1885 primum examen theologicum superavit. Seminario deinde Rottenburgensi adscriptus est, ubi ad sacerdotium ineundum proxime praepararetur, et die 13 iulii presbyteratus ordinem suscepit.

In curam deinde animarum missus est, ut vicarium parochi vel beneficiatum ageret, sed nullo fere loco ei diu consistere licuit. Quantum potuit, a saeculo se subtrahebat, ita ut alicubi per iocum eremitae nomine insigniretur. Mirum itaque non est, quod paulatim in animo eius desiderium in vitam religiosam se recipiendi in dies magis crevit. Hoc desiderium a parvis initiis profectum est. Iam enim in seminario maiore, ubi vivendi ordo vitae religiosae simillimus erat, rector semen sparserat, cum quondam diceret mirari se, quod nemo e numero alumnorum statum religiosum capessere velle videretur. Quod dictum numquam e Ioannis me-

moria excidit, paulatim vero semen ita sparsum germinavit crevitque, cum cura salvandi animam suam vehementius sollicitari coeptus esset. Nec tamen de vocatione sua certum habuit, quamquam saepe de suis consiliis cum amicis cognatisque locutus est. Aere quoque alieno adhuc detinebatur, quod ad studia sua finienda contraxerat nec statim solvere poterat. Cum vero denique debitis se liberasset, at in scholis quibusdam puerorum puellarumque munere obstrictus esset curatoris ac praefecti, saepe questus est se et visitationibus faciendis excipiendisque et laborum amplitudine mente valde distrahi. Et quia sibi persuaserat sacerdotem nihil conferre posse ad alios salvandos, nisi prius se ipsum sanctificavisset, permultaque in cura animarum inutilia esse vel exitu meliore carere, quod recta animi ratio ac voluntas deesset, valde sibi de reddenda laboris ratione timere coepit, e quo tot animarum aeterna salus penderet. Inde nihil mirum, quod de statu religioso capessendo cogitatio in dies maiore vi redibat. Nec tandem deerat occasio, qua consilium religionem aliquam ingrediendi maturesceret. Anno 1896 Aulendorffii, ubi tunc degebat, a Patribus Congregationis nostrae et provincia Germaniae superioris missio habita est. Missionariorum agendi modus ita ei placuit, ut anno post admissionem in Congregationem peteret. Cum autem voti compos factus esset, nova dilatio obstitit Episcopo Rottenburgensi ob penuriam sacerdotum excardinationem denegante. Anno elapso tandem e dioecesi dimissus sine mora domum noviciatus Garsensem petiit ratus atque confisus Dei voluntate se vocari sibi proponens, « ut voluntas Dei sibi dein esset regula vivendi ».

Die 29 septembris a. 1898 vestem Congregationis accepit. Sodales in noviciatu virum constantem, gravem formaque conspicuum reverentia quadam prosequabantur. Nulla re, ne regressu quidem cuiusdam sodalis amicissimi, impeditus viam prosecutus est suam omnibusque se praebuit exemplar religiosae gravitatis et observantiae. Die 8 septembris a. 1899 vota religiosa nuncupavit.

R. P. Uhl speraverat se peracto noviciatu in missionibus adhibitum iri. At altero noviciatu peracto plurimum temporis in domibus studiorum egit. Primum quidem quattuor annos in juvenatu lector humaniorum erat, deinde in studentatu philosophiam, tum Scripturam Sacram, denique theologiam moralem docuit, ac mirum est, qua industria omnes has disciplinas docere studuerit. Sed maximam molestiam munus praefecti studentium ei attulit, quo ab anno 1904 ad 1907 functus est. Ipse enim superioribus per litteras se esse verborum parciolem et severiorem ac graviorem fatetur, quam ut animos studentium sibi conciliaret eorumque fiduciam acquireret, seque ideo studentibus in vita spirituali parum emolumento esse posse; proinde illud munus sibi factum esse onus vix ferendum; ceterum, adiungit, se ad quodcumque munerum genus esse ineptum. Triennio elapso superioribus concedentibus munere praefecti liberatus est. Cum

anno 1909 alter vocalis ad capitulum generale electus esset, festis sollemnibus canonizationis S. Clementis interfuit. Inde reversus iuvenatus director constitutus est, quo in munere novum ei opus perficiendum erat. Cum enim propter quasdam difficultates, quibus iuvenes nostri in subeundo examinis publici periculo gravabantur, anno 1911 iuvenatus in duas partes divisus esset, ita ut classes superiores in nova domo Guntiae (*Guenzburg*) constituenda gymnasium publicum frequentarent, R. P. Uhl officium directoris iuvenatus Guntiani commissum est, cuius opera brevi nova domus fini suo aptata erat. Indole sua nobili magistrorum etiam rectorisque gymnasii reverentiam quandam collegit. Praeter iuvenum nostrorum directionem curae quoque animarum operam dedit hominibusque multis, praesertim sacerdotibus vicinis, quos in congregatione mariana collegit, acceptissimus fuit. Anno 1915 Rector collegii Garsensis creatus est, quamquam ipse talia munera numquam non perhorrescebat. Sed animi aegritudine dissimulata molestiam perferre paratus erat. Nec res facilis erat per illud belli funestissimi tempus tot hominibus res necessarias procurare. Cum demum triennio elapso munus Rectoris iterum ei suscipiendum esset, post duos menses illo se abdicavit ac deinde usque ad annum 1923 et docendis in iuvenatu disciplinis humanioribus et laborando in rebus electricis, photographis similibusque aliis artibus occupabatur. Praeterea librum de vita et passione D. N. I. Ch. secundum visiones Ven. Virginis Annae Cath. Emmerich a P. Wiggermann compositum recensuit iterumque edidit.

Mense maio a. 1923 e iuvenatu discessit, ut domui Guntianae adscriptus reliquos vitae annos digno otio uteretur et aliquantum laboribus apostolicis interesset. Quis tum putarat hunc virum sexaginta annorum, robustum, qui ipso incessu militarem disciplinam prodebat, tam mature vita cessurum esse? Per plures quidem annos stomacho laboraverat, tum vero medicus cancrum dignovit, ad quem aqua quoque intercus accessit. Sperabat quidem aegrotus se lavationibus, quas dicunt, Kneippianis ad Wö-rishofen adhibendis levamen ac salutem consecuturum esse, quibus iam ante triginta annos morbum gutturis ita fugaverat, ut in contionando nihil deinde molestiae pateretur. At spes inanis erat. Levamen non adeptus ac domum reversus mortem certo appropinquantem exspectavit. Cum superior ei aperuisset spem salutis recuperandae nullam esse, nuntium hunc omnino tranquillus et in Dei voluntatem plane se commendans accepit, cum diceret: *Nunc demum in patriam abibimus*. Quamvis dolores ultimis diebus vehementissimi essent, nullum tamen signum impatientiae prodidit omniaque servitia sibi praestita grato animo suscipiebat. Quamdiu potuit, exercitia religiosa cum communitate egit sacrumque cotidie litavit. Debilitate tandem impos factus magno cum dolore hoc sacerdotali animi solacio caruit rogavitque, ut aliquis sibi preces praeiret, ipse vero persaepe iaculatoriis suspiriis usus est et aqua lustrali devote se aspexit. Sacra-

mentis rite munitus tandem die 28 iulii hora 5 pomeridiana animam bonam Deo reddidit.

Exsequiis magnificis apparuit, quantum P. Ioannes Aloisius apud totam civitatem gratia valuisset. Deputati a collegiis societatibusque catholicis et a gymnasio publico, in quo belli tempore per aliquot menses rem mathematicam docuerat, ac plurimi cives officialesque ad funus convenerunt. Omnes enim eum sacerdotem salutis animarum studiosissimum ac religiosum virtutibus probatum reverebantur ac colebant. Et profecto in defuncto magna erat abnegatio sui. Congregationem ingressus erat, ut procul negotiis saecularibus animae suae aliorumque saluti provideret, neque vir propositi tenax studium illud umquam intermisit. At divina quadam dispositione, ut erat aptissimus ad varia negotia tractanda, negotiis quasi obrutus est, nec fere umquam illi appetitioni eius naturali mos gestus est, ita ut vita eius religiosa vere via crucis dicenda videretur. Neque iniuria dicere potuit se pro Congregatione satis laboravisse. Coronam iustitiae cursu consummato reddat ei Dominus iustus iudex! R. i. p.!